

§. III.

Alterum vero ad extremum transit, si quis asserat, vigiliam istam per omnia ipsummet esse festum Bacchi Ethnicum, in memoriam & cultum Bacchi celebratum; id quod sibi cum primis voluit Autor Anonymus in Tractatu jam jam notato, ubi p. 12. his sententiam suam, operiosius asserat, verbis concludit: *Borhero hieß es Bacchus-Feyertag; darnach aber Fastnacht. Da bekam es einen Christlichen Namen: Indessen war nicht das geringste unterlassen / was bey den Bacchus-Festen getrieben wurde.* Quod autem Anonymus, ad alterum extremum prolapsus, hic cespitet, quodque vigiliæ carnisprivii non sint per omnia ipsummet festum Bacchi Ethnicum, in quo nihil intermittatur eorum, quæ in Festo Bacchi Ethnico olim fuerint peracta, id sequentes rationes comprobabunt.

§. IV.

Prima ratio a nomine est petita. In nulla enim lingua nomen Fastnacht exacte convenit cum Bacchi festo. Germanicum Fastnacht est vox composita ex Fasten & Nacht. Unde Saxones Inferiores vocant Fasten-Abend. Vid. Voetium de Quadrag. & Bacchanal. Tom. III. Dispp. Select. disp. ult. Ita quoque in Chemnitii Postill. ed. Francof. A. 1593. in concione Dom. Quinquages. sive Esto Mihi de Baptismo Christi p. m. 425. ad marginem Exordii Fasten-Abend / loco Fastnacht. Sed, quid sibi vult nomen Fastnacht? Nisi velis deducere ex Fas dolium, quia Bacchus depingitur, quasi dolio insideat; & ex voce Nacht. Sed vix Latinus audit sonus, Nox dolii. Nullum habet sensum; nisi si dolia relini & evacuari illa nocte a bacchantibus dixeris, hosque ipsos, quos Sancti Spiritus templa esse decebat, fordidos utres vinosos ac cerevisarios appellaveris. Dictionarium regium P. Franc. Pomay, nec non Sylva Decimat. part. I. Fastnacht exprimunt per Quaresime prenant Carneval. Præterea Galli

I.
a No. mine.

B

hanc